



# LIBRI IV. LOGICAE

## P A R S I.

DE HIS, QUAE AD VERITATEM IN-  
VENIENDAM PERTINENT.

### C A P U T I.

DE VERITATE, VARIA AC MULTIPLICI  
HUIUS VOCIS SIGNIFICATIONE ET USU.

---

#### §. 1.

*Veritas quid, & quotuplex? cur ejus notio hic  
denuo exponatur?*



Veritatem in genere per conformitatem seu  
convenientiam eorum, quae simul esse  
perhibentur, definiri, ejusque quatuor  
in scholis species communiter distingui, metaphy-  
sicam scilicet, physicam, moralem & logicam jam  
supra *Lib. 2. part. 1. Cap. 2. §. 2.* diximus; at quia  
de veritate hic ex instituto est agendum, ejus antea  
notionem hic denuo exponere necessum ducimus.

#### §. 2.

## §. 2.

*Verum quid, & quotuplici sensu dicatur?*

**E**sse verum idem plerumque sonat, ac esse reipsa; in quo sensu illud modo verum est, quod reipsa existit, & quod non existit, falsum est. Atamen fert usus ipse loquendi, ut verum quandoque etiam dicatur, quod, licet reipsa non existat, nec unquam forte exiturum sit, esse tamen non repugnat; atque in hoc sensu verum potissimum accipiunt Philosophi, quando veritatem in cognoscibilitate, ut ajunt, objectiva constituunt, verumque esse dicunt, quidquid concipi seu cogitari potest; & quidquid contra cogitari nequit, cognoscibilitatem non habet, falsum esse arguunt. Verum utroque hoc sensu acceptum objective, & prius quidem veritate physica, reali, existentiae, veritate autem metaphysica, ideali seu merae possibilitatis posterius verum esse dicitur.

## §. 3.

*De veritate logica cogitationum.*

**C**ogitationibus porro nostris veritas tribuitur, eaeque dicuntur esse verae, quatenus rebus ceu objectis suis sunt conformes, seu quatenus id ipsum & non aliud in cogitatione continetur, quam quod objecto convenit: Hanc veritatis speciem logicam adpellant, eoquod Logica eam potissimum adtendit; eamque duplicem praesertim in ideis aliqui distinguunt formalem scilicet & objectivam: veritatem formalem tribuunt ideis, in quantum ea, quae in idea exhibentur, simul & ceu determinationes aut praedicata subjecti unius cogitari possunt;

quae

quatenus autem haec ipsa praedicata objecto, ad quod referuntur, reipsa conveniunt, ideam objective veram esse ajunt: quam distinctionem & nos omnino faciendam esse putamus, licet illa aliis admodum displiceat, qui aliud ideae objectum agnoscere nolunt, quam, quae in idea exhibentur, praedicata seu determinationes.

## §. 4.

*De veritate propositionum.*

**S**ermo quoque seu propositiones quandoque verae sunt: imo triplex ratione harum veritas distinguitur, moralis, logica & hermeneutica. Sermo moraliter censetur esse verus, si cognitioni proferentis sit conformis, seu si sermonem proferens id & non aliud, ac reipsa cognoscit, eloqui intendat: logice verus est sermo, si, quod sermone enuntiat, reipsa & ita quidem se habeat, sicuti sermo enuntiat. Unde intelligis, veritatem sermonis *logicam* non minus ac cogitationum in conformitate cum objecto, *moraalem* vero in conformitate ejusdem cum cognitione constitui. In eo tandem, quod quis sermonem quandam audiens vel legens intantum a loquente vel scribente sensum adsequatur, veritas sermonis seu propositionum hermeneutica consistit.

\* \* \*